# VELITATIO IOHANNIS CO-CHLÆI IN APOLOGIAM Philippi Me-lanchtho-nis.

M.D.XXXIIII.

# REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOmino, Domino Andreæ Critio, Episcopo Plocensi, apud Sarmatas, in præclaro regno Poloniȩ, pietate, Eloquentia & eruditione insigni, Iohannes Cochlȩus S. P. D.

REVERENDISSIME IN CHRIsto Pater & Domine, quũ nõ ignorem, quantam tibi apud vniuersos amplissimi regni Poloniæ & Prælatos & Proceres tum literarum studio, tum dicendi facultate, ac bene actæ vitæ meritis, autoritatem comparaueris: videris mihi haud immerito inter præcipuos Regni vestri Speculatores, & Catholicæ veritatis Assertores atq; Patronos reuerenter admonendus, vt etiam atq; etiam attendas ab insidijs hæreticorum, ne quid detrimenti apud vos patiatur respublica & religio Christiana. Non enim casu aut fortuna, sed Dei dono & prouidentia sic euectus es per literarum studia, vt memor sis illius, quod apud Ezechielẽ prophetã legitur: Si Speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina, & populus se non custodierit, veneritq; gladius, & tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem eius de manu Speculatoris requiram. Atq; etiam illius, quod Paulus Apostolus Ephesi ad maiores natu Ecclesiæ dixit: Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sãguine suo. Ego scio, ꝙ intrabunt post discessionem meam lupi rapaces, non parcentes gregi, & ex vobis surgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se. Suppliciter igitur admoneo te R. Pater ac Domine, vt pro summa erudi-

eruditione & dignitatis fastigio, pastoraliq; officio, agas hoc maxime tempore q; vigilantissimum & oculatissimũ Speculatorem, ne subintrent Apostatæ, qui peruerso gradiũtur ore, neue perniciosos libros è Germania importent Scholares vestrates, qui Lutherum audiũt, & Philippum Melanchthonem. Scio quidem R.D. tuam iam pridẽ Luthero propter impia & iam olim sæpe damnata dogmata, infensam esse. Quo aũt sis animo erga illius propugnatorem, Philippum, nondum publice (quod sciam) declarasti. Metuo itaq;, ne forte per vllum discipulorum suorum suę pietatis prętextu surrepat in amicitiam R.D. tuæ, & ea occasione studeat Lutherismum suum inclyto regno vestro insinuare. Quemadmodũ anno superiore, nactus Alesium Scotum, sub illius nomine odiosissimam aduersus regni Scotiæ Episcopos ad regem Scotorũ edidit (vt à multis accepi, & stylus ipse indicat) Epistolam, in cõmendationẽ Luthericæ (quã falso Euangelicam vocat) doctrinæ. Caue igitur Ornatissime Pręsul, ne vafricie sua imponat tibi fraudulenta hęc vulpecula, quæ in modũ Sirenę dulci blandiloquentia captat aures, & in hypocrisi mendacium loquens, dolos cogitat, vt corda hominum in sui fauorem trahat, fictis verbis circũ præcordia ludens. Quibus ad sese pertractis, sui amore rectum iudicium peruertente fretus, persuadere tandẽ possit quæcunq; velit. Noli ergo credere ei, si forte scribat, non omnia placere sibi, quæ Lutherus docet, ficte enim talia scribit, vt incautos, & nihil mali suspicantes decipiat. Nam in corde suo maximi facit Lutherum, misere à Monacho illo Apostatico effascinatus. Id quod Augustę ex priuatis eius colloquijs non obscure intellexi. Quamuis igitur doleat mihi, ingeniosum ac doctum hominem sic ab illo Apostata obsessum, atq; adeo plane captum esse. Vnde & factum est, vt in hanc vsq; diem plæraq; suppresserim, quæ in quædam eius opuscula iam olim scripsi, Nunc tamen, dum video eum per varias

technas practicam quærere, qua Lutherismum suum etiam in externa regna propaget, diutius mihi silendum aut dissimulandum esse non duco, vrgente conscientia. Rogo igitur & obsecro R. D. tuam, vt Velitationem istam vel semel perlegere dignetur, vt eo planius intelligat, simulatæ huius Philippi beneuolentiæ ac pietati, presertim erga Episcopos, non esse fidendũ.

Bene vale, doctissime atq; eloquentissime Pontifex. Ex Dresda Misniæ. IIII. Nonas Iunij.

Anno M.D.XXXIIII.

# ILLVSTRI AC GENEROSO PATRITIO, DOMINO Nicolao Pernet à Granduelle, Cæſareæ Maieſtatis Procancellario, Domino ſuo obſeruandiſſimo, Iohannes Cochlęus S.P.D.

MIRARI QVIS IVRE POteſt, inclyte Domine Procancellarie, non ſolum audatiã & aſtutiã verſuti Rhetoris Philippi Melanchthonis, qui cauſam adeo manifeſte malam & conuictam defendere audet: verum etiam ſimplicitatẽ iudicij apud plęroſq; bonos viros, qui verborum dulcedine illecti, Rhetori huic multo plus credunt, ꝙ expedit vel quieti & vnitati Eccleſiæ, vel animarum ſuarum ſaluti. Quòd ſi Rhetor iſte Auguſtæ veram, vt in corde ipſe cum ſuis ſentiebat, fidei ſuæ confeſſionem Cęſareæ Maieſtati exhibuiſſet, non dubito equidem, quin longe ſeuerius iudicaturus fuiſſet pijſſimus Imperator ſimul cum omnibus ſacri Rom. Imperij Ordinibus, de ſecta & doctrina Lutherana, ꝙ vt digna videri poſſit vllo vel tractatu, vel Cõcilio, vtpote ſępius damnata prius. Non ignoras, credo, ꝙ acre ſit edictum Cæſareũ, quod Wormatiæ ante annos XI. in Lutherum & complices eius promulgatum fuit, quando dulcium iſte verborum architectus aberat. Et tamen eo tempore poterat Lutheri doctrina aurea pene videri, ſi vnum Babylonicæ Captiuitatis libellum excipias, præ ferreis & funeſtis libris atq; Sermonibus, quos poſtea per XI. annos edidit. Ex quorum nimirum editione tot ſeditiones, tot ſacrilegia, tot funeſtiſſimas cędes paſſa eſt miſera Germania,

quot profecto antea in DC. annis nunquam passa fuit.

His omnibus dissimulatis, adornauit Rhetor iste fidei suæ confessionem, specie verborũ adeo placidam, vt neq; à Lutheri furoribus & amarulentijs, neq; ab ipsius Philippi scriptis prioribus quicquam videretur alienius. Id quod Theologi, quibus respondendi cura commissa fuerat, mox in prima sua responsione clarissime indicauerunt, contraria eorum scripta, dicta & facta, circa singulos fere confessionis illius articulos commemorantes. At blandulus Rhetor iste interim persuadebat & suis Principibus, & alijs, hanc esse certam & vltimam sententiam Lutheranorum, quæ in Confessione sit expressa. Vnde factum est, vt pientissimus Imperator noster, pacis & concordiæ auidus, noluerit contraria illis obijci in publico, ne rubore confusi, ad pacem & reditum fierent difficiliores. Sed & alij pleriq; Principes ac Ordines sacri Rom. Imperij, Rhetoris huius blandicijs simulationibusq; decepti, ac velut à Stryge aliqua effascinati, verbis eius, qui animo duplex erat, simpliciter credebant, licet in facto longe aliud cernerent. Viderant enim, qua pertinatia recusauerant Lutherani, comitari venerabile Sacrum in Processione publica. Audierant qualia ab eorum Contionatoribus Augustæ ante Cæsaris aduentum fuerant ad populum dicta. De reuocatione aũt tam altum erat silentium, vt nefas videretur, errorũ prius editorum obiectione, spem concordiæ pacisq; studiũ turbari. Benignissime itaq; eis responsum est; sed adeo nihil ea benignitate profecimus, vt etiam inter legendum illusa à quibusdam fuerit responsio nostra, crebrisq; cachinnis excepta. Quid deinde profectum est tot Tractatibus, quibus ad pacem & Ecclesiæ vnanimem consensum tam pie, benigne ac fideliter inuitabantur? An non vidimus eorum Confessionem Teuthonice ad populum editam, priusq; Principum Conuentus solueretur Augustæ? Sed & Lutheri libros nouos, seditionis ac minarũ spirantes, interim

dum

dum de pace agebatur, illic furtiue atq; etiam palam venales vidimus. Qui cum obijcerentur blandiloquo huic eius propugnatori, respondebat blandule, non curandum esse quid ille scriberet, sed quid Principes sui concedere aut acceptare vellent. Dum igitur de pace ageretur, ipse blandissima passim verba, non solum in publicis tractatibus, verum etiam in priuatis & secretis colloquijs, irrepens insidioso astu in aulas quoq; Principum, atq; adeo & in Curiam Cæsaris ipsius, & in Cubiculum Cardinalis Legati, quem non solum blando & simplici sermone, verum etiam suaui & assentatrice scriptura tentauit, vt à recto flecteret, et sub concordiæ prætextu blandicijs circumueniret. Vnde factum est, vt ipse præ omnibus Lutheranis videretur pacis auidus, adeo astute in dolo & hypocrisi concordiam se quærere simulabat, non solum scriptis & blandicijs, verum etiam vultu, gestu, incessu.

Vbi vero domum redijt, Luthero suo multa suggessit, quæ à summis viris audierat, Ea Lutherus mox pessima cum interpretatione in populum euulgauit, inuehendi ac maledicendi ansam inde accipiens, ac furiosissime simul & seditiosissime debacchans, non solum in Theologos, quos pro aduersarijs habebat, verum etiam in summum Pontificem, in quosdam nominatim Cardinales & Episcopos, atq; etiam in quosdam Principes Electores, quin immo etiam in Cæsaream Maiestatem, cuius Imperialem recessum (quem ipse putatiuum Edictum vocat) tam spurcis obscenisq; & seditiosis glosis insectatus est, vt nihil possit edi amarulentius, fœdius, petulantius, seditiosius. Quamuis vero sciret Philippus, longe alia mente à Principibus dicta fuisse, quę ipse Luthero narrauerat, q̄ interpretabatur ille ad populum, nullo tamen verbo falsam & amarulentam eius interpretationem correxit aut mitigauit. Quin immo, vt odium nostri, & rebellionis incendium adaugeret, adiecit ipse nouam dissidij facem, edens Confessionem

suam

ſuam, cum adiuncta Apologia, non ſolum Teuthonice ad Germaniæ populos, verum etiam Latine, ad ſubuertendas exteras quoq; nationes in fide. Quæ ſane tanto nocentior eſt, q̃ Lutheri amarulentia, quanto blandius alloquitur alicubi Cæſarem & Apoſtolicæ ſedis legatū, & quanto denſius eam præmuniuit ſcripturarū allegationibus. Longe itaq; facilius nobis eſt furioſos Lutheri impetus, Deo iuuante, ſuſtinere, q̃ aſtutam Rhetoris huius artem & vafriciem detegere. Tanto igitur magis nocet iſte Philippus, quanto facilius credunt ei, q̃ Lutthero docti iuxta & indocti. Eſt enim verbis illo blandior, vita honeſtior, ingenio acutior, ſtylo comptior, vultu placidior, vafricie aſtutior, arte Oratoria inſtructior, linguis eruditior, Breuiter cunctis ingenij & naturæ dotibus ornatior, gratior, amabilior. Non eſt Apoſtata, vt ille, non ſacrilegus Monialiū compreſſor, vt ille, ſed legitimus maritus, non autor ſectæ nouæ, vt ille, nō damnatus publice nominatim, vt ille, nec à Cæſare proſcriptus, vt ille. Vnde fit, vt longe difficilius odioſiuſq; ſit nobis, cum eo q̃ cum Luthero contendere.

Et teſtis eſt mihi Dominus (ſcrutator cordis & renum) ꝙ homo iſte præ omnibus Lutheranis, ob egregias Dei et naturę dotes, infixus eſt animo meo, vt minime libeat mihi eum offendere, aut vlla iniuria afficere. Nihilominus debet mihi maior amica eſſe veritas, & magis cordi eſſe publica religio & ſalus animarum, q̃ priuati hominis fauor aut amicitia. Agnoſco quidem, me illo in cunctis naturæ ingenijſq; ornamentis longe inferiorem, ſed de fide & religione patrum noſtrorum, quam ipſe à Luthero peſſime ſeductus impugnat, cedere ei vel latum (quod aiunt) digitum, aut in minimo articulo, nec volo, nec debeo. Citra odium igitur perſonæ, de Apologia eius iudicare hic paucis permittas mihi quæſo, inclyte Procancellarie, immo tu mecum expende, quale de ea ferendum ſit iudiciū. Quòd ſi iniquius cenſere vſquam viſus fuero, lubens profecto

cenſuram

censuram meam iudicio tuo corrigam, & aliorum sententiæ melius dijudicantium placide ac reuerenter acquiescam.

Primum igitur non erat (vt mihi videtur) necessariũ illi Apologiam edere, quoniam Confutatio nostra edita non erat. Quid enim opus est defendere, quod non oppugnatur? Si dicat, Augustę oppugnatam fuisse eorũ Confessionem. Id sane nõ inficiamur, sed satis esse ei debuerat, Augustæ Apologiam scripsisse, non edidisse. Quemadmodum & Confutatio nostra scripta tantum, non impressa fuit. Sed excuset hoc, vt lubet, sicut per me facile potest. Non enim ego ei legem fero, aut præscribo. Quid rogo necessum erat, Apologiam adeo prolixam scribere, pro ijs Confessionis suæ articulis, de quibus non ignorabat, se nobiscum concordiam inijsse? An id neget? Certe Principes & Iurisconsulti eius, qui nobiscũ intererant Tractatui, minime negabunt, nos mox primo consessu & vno vespere concordasse cum eis in XI. articulis, & altero die in reliquis X. tribus tantum exceptis. Quid igitur Apologiam pro alijs scribit articulis, de quibus ad sanum intellectum redactis, nobis consenserat? Scribit nunc centum pene paginas de sola fide, ꝙ iustificet, Augustæ vero nobis acquiescebat mox primo vespere, petentibus, vt hæc vox, sola, ibi omitteretur. Si neget, Actis publicis facile conuincetur et suorum Principum testimonijs. Quemadmodum & de peccato Originali, & de Ecclesia, deꝗ; Sacramentorum administratione, ac de nonnullis alijs, de quibus tam prolixam scribit Apologiam, nobis consentiebat. Cur igitur nunc de ijsdem tantopere contra nos contendit? Cur adeo amare conuiciatur, qui tam placide colloquebatur in tractatu? Ego certe non aliam queo excogitare causam, nisi ꝙ cupit oleum (ꝙđ aiunt) addere camino, vt flagrantes in nos odio animos Lutheranorum ex ijs, quæ Lutherus post Augustana Comitia in nos amarulentis calum-

nijs confinxit, ipse per Apologiam infensiores nobis redderet, & de odio ac criminatione nostri, gloriam apud suos assequeretur, & ex Catholicis nostris plures in sectam suã pelliceret, ac tandem suos sic irritatos & ad seditionem per Lutheri scripta concitatos, suo impulsu ad tumultũ & cædem in nos protruderet, vt funditus deleremur.

Querela Philippi cõtra Imperatorem.

Verum si hoc æquum ei visum est, nos tanq̃ aduersarios suos ita traducere, & in odium populi pertrahere, qua rogo æquitate Cæsarem, quem alibi fatetur optimũ & castissimum Principem, eidem odio inuoluere parat? Nam et Cæsarẽ accusat, tectius quidẽ & verbis modestioribus, q̃ fecit Lutherus, sed reuera nihilo mitius aut leuius. Queritur enim in Præfatione, ꝙ Cæsarea Mai. cum curasset Confutationem nostram in consessu Principum prælegi, postulauerit ab eius Principibus, vt illi Confutationi assentirentur, cui sine offensione conscientiæ & sine scelere assentiri non poterant. Cumq; â Cæsare petijssent Confutationis exemplum, impetrare non potuerint, nisi periculosissimis conditionibus, quas recipere nõ poterant, nisi vellent se in discrimen certum conijcere. Deinde cum instituta esset pacificatio, ait aduersarios obstinate postulasse, vt ipsi quosdam manifestos abusus atq; errores approbarent. Quod cum non possent facere, iterum postulasse Cæsarem, vt Principes eius assentirentur Confutationi. Quod cum sine scelere nõ possent, iusserint ipsum Philippũ & alios quosdam parare Apologiam, verum Cæs. Maiestatem non recepisse oblatum scriptum. Postea editum esse Decretum, in quo affirmetur eorum confessionem ex scripturis confutatam esse, &c.

Ex his facile conijciet prudens lector, q̃ odiosa sint hæc & virulenta ad populum contra Cæsarem. Si enim Confutatio nostra talis esset, qualem ipse eam depingit & accusat, nempe ꝙ damnet manifestam veritatem & Euangelium,

am, sepeliatq; Christum, comprobet vero manifestos abusus & errores, non potuisset Cæsarea Maiestas eam honeste aut vllo iure approbare; multo minus Principibus prælegendam dare, & petere, vt ei assentirentur, cui sine scelere & offensione conscientiæ assentiri non possent.

Vides igitur, quàm parum candide faueant gloriæ & honori Cæsaris, quicunq; hanc Philippi Apologiam collaudant. Nam grauissime læditur per eam pietas & existimatio Cæsaris, tanquam is adeo impius sit Tyrannus, vt curet Confutationem nostram, quæ sit contra Euangelium & manifestam veritatem, publice prælegi, & postulet eam ab omnibus approbari, neq; tamen exemplum eius tradere cuiquam velit, nisi periculosissimis conditionibus & certo cum discrimine. Quid rogo grauius aut iniquius, contra Christum & eius Euangelium statuere aut attentare potuisset Apostata Iulianus? Quid contra Catholicos Constantinus aut Valens Arrianus? Quis est igitur vere amicus Cæsaris, qui calumniosam hanc in Cæsarem Apologiam laudet aut approbet? Nemo profecto, quia fidem & pietatem atq; etiam clementiam & bonitatem Cæsaris grauissime lædit, dum hanc ei notam imputat, quod impia scripta comprobet, & ab aliis comprobari postulet, contra manifestam veritatem. Deinde quod tam inciuiliter & inclementer cum Principibus illis egerit, vt & impia postularit, & periculosissimas eis conditiones, ac certum discrimen proposuerit, atq; in Decreto contra eos falso glorietur, eorum Confessionem ex scripturis confutatam esse. Si hoc est honorare Cæsarem, quid obsecro est inhonorare?

Sciebat autem Philippus, cum ista ederet, qualia paulo ante in Cæsarem & omnes Principes Catholicos Teuthonice Lutherus duobus in libellis euulgauerat. Si ergo pacis publicæ & Cæsareæ Maiestatis volebat videri studiosus, non debebat malum malo addere, & animos po-

pulorum per Lutheri calumnias in Cæsarem iam exaspe-ratos, nouis criminationibus grauius exacerbare; Quan-doquidem non ignorabat, quanta cum patientia & cle-mentia Cæsar pro pace resarcienda cum ipsis egerit.

Neq; item video, quomodo vir bonus laudare possit, q in Theologos, quos pro aduersarijs habet, adeo stoma-chatur Philippus, vt tot conuicijs & calumnijs eos deho-nestet. Illi enim non vltro prosilierunt in harenam, vt ad-uersarentur ei, sed iussi à Cæs. Maiestate responderunt ad Confessionis articulos pie, sobrie, modeste, citra omnem amarulentiam, sine conuicijs & calumnijs, non secundum caput aut sensum proprium, sed iuxta sanum intellectum scripturarum, quem ex sanctis Patribus, & antiquis Eccle-siæ Doctoribus acceperant, nihil reijcientes absq; iusta vel necessaria ratione, multa pacis studio admittentes, quæ po tuissent aliqua ratione reprehendi, si contendere potius, q̃ pacem quærere studuissent. Quicquid igitur salua Eccle-siæ Catholicæ fide admitti potuit, benigne admiserunt. Quæ vero contra Ecclesiam erant, admittere nec potue-runt, nec debuerũt. Nam & frustra comprobassent, quod Ecclesia comprobatura non erat. Quid enim profuisset ad Ecclesiæ vnitatem, si Theologi illi totam Philippi confessi onem per omnia comprobassent, quam nullę per totũ or-bem Christianum Vniuersitates, nulla Collegia, nulla Mo nasteria, nulli Episcopi comprobaturi erant? Quin igitur transmittat Philippus omnes eos articulos, quos Theolo-gi reiecerunt, ad Vniuersitates celeberrimas quasq;, & pe-tat eos admitti. Sed non ignorat, qualem reportaturus sit ab illis sententiam. Probe enim scit iam pridem, quid de eiusmodi articulis censuerint Romani, quid Parisienses, quid Louanienses, quid Colonienses, quid eruditissimi quiq; Episcopi & Theologi. Iniq; igitur stomachatur in paucos illos, qui Augustæ erant, Theologos, quibus non

erat integrum, comprobare ea, quæ totius Ecclesiæ consensus damnat.

Ostendat ergo nobis Philippus, quæ nam per orbem Christianũ Ecclesia, quæ Vniuersitas, quod Tribunal aut Consistorium admittat hos, & id genus plures suæ Confessionis articulos.

## DE TRADITIONIBVS HVMANIS.

1. Doctrina Pauli de fide, pene tota oppressa est per traditiones.

2 Traditiones humanæ, institutę ad placandum Deum, ad promerendam gratiam, ad satisfaciendum pro peccatis, aduersantur Euangelio & doctrinæ fidei.

3 Puerilia & non necessaria opera sunt, certæ feriæ, certa ieiunia, Fraternitates, Peregrinationes, cultus Sanctorum, Rosaria, Monachatus, & similia opera inutilia.

4 Augustinus multis voluminibus defendit gratiam & iustitiam fidei contra merita operum.

5 Traditiones istæ (de cibis, ferijs, &c.) obscurarunt pręcepta Dei; quia traditiones longe præferebantur præceptis Dei.

6 Testantur & veteres scriptores, enumerationem peccatorum in Confessione non esse necessariam

## ITEM DE VOTIS MONASTICIS.

7 Augustini tempore erant libera Collegia; postea, corrupta disciplina, vbiq; addita sunt vota, vt tanquam excogitato carcere disciplina restitueretur.

8 Mandatum Dei de Coniugio videtur plęrosq; liberare à votis.

9 Sequitur igitur, ista vota vsitata impios cultus fuisse, quare sunt irrita, quia cõtra mandata Dei facta nõ valent.

10 Persuaserunt hominibus, factitias religiones esse statum Christianæ perfectionis. An non est hoc iustificationem tribuere operibus?

11 Quia iustitia fidei, quam maxime oportet tradi in Ecclesia, obscuratur, Cum illæ mirificæ religiones angelorum, simulatio paupertatis, humilitatis & celibatus, offunduntur oculis hominum.

12 Quàm multæ impiæ opiniones hęrent in votis, vt iustificent, ꝙ sint perfectio Christiana, ꝙ seruent consilia & præcepta, ꝙ habeant opera supererogationis, Hæc omnia cum sint falsa & inania, faciunt vota irrita.

Hos exempli gratia proposuerim articulos, è multis paucos, vt inde quiuis sanę mentis & rectæ fidei homo intelligat, Theologos illos, quos tot conuicijs calumnijsq́ꝫ insectatur Philippus, non potuisse omnes confessionis Lutheranæ articulos admittere, quantumuis publicæ pacis auidi essent. Non enim in eorũ potestate aut arbitrio erat, tales admittere aut approbare articulos, quos Catholica per orbem terrarum reprobauit olim Ecclesia. Quales profecto præter iam dictos adhuc multi in ea Confessione reliqui sunt, De cultu Sanctorum, de meritis bonorum operum, de vtraqꝫ specie Sacramenti, de Coniugio sacerdotũ, de sacrificio Missæ, &c. Quos admitti vult Philippus, Catholici vero admittere nõ possunt, quia non licet eis à sanctis Patribus & ab Ecclesiæ sensu & spiritu dissentire. Ipsa est enim columna & basis veritatis, teste Apost. 1. Tim. 3. Quam Paracletus spiritus sanctus omnem docet veritatem. Iohan. 16.

Iudicet igitur inter nos Dominus, iudicet Ecclesia, iudicet quiuis vir bonus, num æquum sit, vni Philippo plus credere, quàm toti Imperio Rom. ẽꝫ Cæsareæ Maie. ẽꝫ tot Principibus & Episcopis, qui publico Decreto censuerunt Confessionem illam Lutheranam iure & legitime à Theo

logis

logis illis ex scripturis confutatam esse. Quòd si vllus est iudex vsq; adeo iniquus, qui tantorũ virorum Heroicorũ testimonijs acquiescere nolit, contra illud & legis & Euangelij dictum: In ore duorũ aut trium testium stabit omne verbum, Is exquirat plura ab Vniuersitatibus, â cæteris Christianis regibus & Principibus, ab exteris nationibus, quas de nullo in Philippum & complices eius odio suspectas habeat. Si alia ab ijs testimonia obtinuerit, iure videatur reiecta & conuicta nostra Confutatio, Sin minus, merito dicetur Philippo illud Sapientis, Conserua fili mi præcepta patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ. Et illud Esaiæ, Quiesce agere peruerse, disce bene facere. Item illud Prouerbiorũ, Ne sis sapiens apud temetipsum. Et ne innitaris prudentiæ tuæ. Et illud Apostoli, Noli altum sapere, sed time. Acquiesce igitur Ecclesiæ, & habeto pacẽ, & per hęc habebis (vt inquit Iob) fructus optimos. Quasi scelus est em̃ Idololatriæ, nolle acquiescere, vt ait Samuel; Et Apostol9, Si quis aliter docet, et nõ acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei quæ secundum pietatẽ est doctrinæ, superbus est, nihil sciens, sed languens circa quęstiones & pugnas verborum. Ex quibus oriũtur inuidię, contentiones, blasphemiæ, suspitiones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, &c̃.

Deut. xix. Matth. xviii.

Pro. vi. Esa. i. Prou. iii Rom. xi Iob xxii i. Re. xv i. Tim. vi.

Aequius profecto fuisset atq; honestius, ac longe melius & vtilius tum ad pacem Ecclesiæ, tum ad quietem & salutem Germaniæ, eiusmodi monitis pijs ac placidis acquiescere, q̃ nouam adijcere Apologiam, in qua impie defensantur dogmata hæretica, iniq; proscinduntur viri boni & grauissime læditur Imperialis Maiestas. De læsa Maiestate iam dictum est supra. Quâm procax verò ac petulans sit ibi in bonos viros maledicentia, quàm impudens mentiendi & calumniandi libido, quâm sæua conuiciandi amarulentia, ex ipsius potissimum verbis dignosci potest. Quis autem vir bonus iudicet ęquum aut honestum esse,

ut

vt Philippus iste, homo iuuenis, & Laicus, qui maiorem ætatis suæ partem insumpsit in Græcis & Rhetoricis lectionibus, ausit Theologos illos, qui sane omnes presbyteri erant, & ætate maiores illo, quosq; Cæs. Maiestas velut viros bonos, graues & eruditos, ad respondendũ Confessioni delegerat: publice vocare asinos, sycophantas, nebulones, impios sophistas, nihili hoĩes, hypocritas, & quid non? Cum illi nullam prorsus ad eiusmodi conuicia causam aut occasionem dederint, sed ab omni prorsus maledicentia in sua Confutatione abstinuerint, benigne ac reuerenter admonentes partem aduersam de veritate, congratulantes ei in articulis bonis, in malis vero citra omnem amarulentiam per adductos scripturæ locos errorem corrigentes.

Isti petulanti & conuiciosę maledicentiæ suę superaddidit Philippus impudens calumniandi studium, quo non solum falsa imputat illis Theologis, verum etiam sensa eorum sana improba malignitate peruertit, addens aut omittens aliquid, data opera, quòd odiosam reddat eorum sententiam. Quam sic peruersam, mira post verborum & exclamationum acerbitate ad lectorem accusat, flagellat, & traducit. Quẽadmodũ conijcere licet ex his subsequentibus eius calumnijs, quas exempli gratia referam.

## CALVMNIAE IN APOLOGIA Philippi contra Theologos.

1 Aduersarij obstinate hoc postulabant, vt quosdam manifestos abusus atq; errores approbaremus.

2 Articulos aliquot contra manifestam scripturam spiritussancti damnauerunt. Tantum abest, vt nostras sententias per scripturas labefactauerint.

3 Sic agunt causam, vt ostendant se neq; veritatem, neq; concordiam quęrere, sed vt sanguinem nostrũ exorbeant.

4. Non

4 Non ſolum iudicium, ſed etiam candor iſtis deeſt, qui Confutationem ſcripſerunt. Nam ſententiam per ſe nihil habentem incommodi, arte deprauant.

5 Sic ſentire ac docere Lutherum ſciunt aduerſarij, & cum rem improbare non poſſint, verba tamen calumniantur, vt hoc artificio innocentem opprimant.

6 Aduerſarij in hac cauſa, magna ex parte quid loquantur, non intelligunt, ſæpe dicunt pugnantia.

7 Vtrunq; enim damnant, & quod negamus homines propter ſua merita conſequi remiſſionem peccatorum, & q̃ affirmamus homines fide conſequi remiſſionem peccatorũ, & fide in Chriſtum iuſtificari.

8 Aduerſarij cum neq; quid remiſſio peccatorum, neq; quid fides, neq; quid gratia, neq; quid iuſtitia ſit intelligant, miſere contaminant hunc locum, & obſcurant gloriam & beneficia Chriſti, & eripiunt pijs conſcientijs propoſitas in Chriſto conſolationes.

9 Ad hunc modũ docent homines mereri remiſſionem peccatorum, faciendo quod in ſe eſt.

10 Si meremur remiſſionem peccatorum his noſtris actibus elicitis, quid præſtat Chriſtus? Si iuſtificari poſſumus per rationem & opera rationis, quorſum opus eſt Chriſto, aut regeneratione?

11 Et ex his opinionibus eo prolapſa res eſt, vt multi irrideant nos, qui docemus aliam iuſtitiam, præter Philoſophicam, quęrendam eſſe.

12 Audiuimus quoſdam pro contione, ablegato Euangelio, Ariſtotelis Ethica enarrare. Nec errabant iſti, ſi vera ſunt, quæ defendunt aduerſarij.

13 Ita ſepeliunt Chriſtum, ne eo mediatore vtantur homines.

14 Aduerſarij non iubent nunc Chriſto vti mediatore, ſed prorſus ſepulto Chriſto, fingunt nos habere acceſſum per propria opera.

15 Aduerſarij noſtri ſunt ſuaues Theologi. Intuentur ſecundam tabulam & politica opera, primam nihil curant, quaſi nihil pertineat ad rem, Aut certe externos cultus requirunt.

16 Turpe eſt autem aduerſarijs, tantopere prædicare dilectionem, cum nuſquam prȩſtent eam. Quid nũc agunt? Diſſipant Eccleſias, ſcribunt leges ſanguine, & has proponunt Cæſari clementiſſimo Principi promulgandas. Trucidant ſacerdotes, & alios bonos viros, ſi quis leuiter ſignificauit, ſe aliquem manifeſtum abuſum non omnino probare.

17 De fide, qua appræhendimus propitiatorem Chriſtum, nihil dicũt aduerſarij, immo hanc fidem improbant: neq; improbant tantum ſententijs aut ſcriptis, ſed etiã ferro & ſupplicijs conantur in Eccleſia delere.

18 Verũ plȩraq; iſtorum, quæ aduerſarij defendũt, fidem euertunt, vt ꝙ damnant articulum de remiſſione peccatorum, &c.

19 O religioſos homines. Ritus ab Apoſtolis ſumptos, retineri volunt, non volunt retineri doctrinã Apoſtolorũ.

20 Negant fidem eſſe alteram partem pœnitentiȩ. Quid hic Carole Cæſar inuictiſſime faciamus? Hæc eſt propria vox Euangelij, ꝙ fide conſequamur remiſſionem peccatorum. Hanc vocẽ Euangelij damnant iſti ſcriptores confutationis.

21 Non intelligunt, quid ſit remiſſio peccatorũ, aut quomodo nobis contingat, qui ſomniant corda pacata fieri ſine fide in Chriſtum. Petrus citat ex Eſaia: Qui crediderit in eum, non confundetur. Neceſſe eſt igitur confundi hypocritas, cõfidentes ſe accipere remiſſionem peccatorum propter ſua opera, non propter Chriſtum.

22 Bulla Leonis aperte damnat hunc articulum de remiſſione peccatorũ; damnant & aduerſarij in Confutatione. Qua ex re apparet, qualis ſit Eccleſia iudicanda iſtorũ.

Non

23 Non perturbentur piæ mentes, etiam si Pauli senten- tias calumnientur aduersarij. Nos scimus hanc quam diximus veram & germanam sententiam Pauli esse.

24 Verum aduersarij fingunt nos esse palmites, nō Christi, sed Moisi, prius enim volunt lege iustificari.

25 Talis est doctrina aduersariorum, doctrina legis, abrogatio Euangelij, doctrina desperationis.

26 Profecto non delectant nos hæ dissensiones in Ecclesia. Quare nisi magnas & necessarias causas haberemus dissentiendi, ab aduersarijs summa voluntate taceremus. Nunc cum ipsi manifestam veritatem damnent, non est integrum nobis, deserere causam, non nostram, sed Christi & Ecclesiæ.

27 Aduersarij nostri mirifica Metamorphasi transformant dicta scripturæ in quaslibet sententias.

28 Deus perdat istos impios Sophistas, tam scelestè torquentes verbum dei ad sua somnia vanissima.

29 Nunc aperte Iudaisant aduersarij, aperte obruunt Euangelium doctrinis Dæmoniorum.

30 Falso nos accusant inimici nostri, ꝙ bonas ordinationes, ꝙ disciplinam Ecclesiæ aboleamus. Vere enim prędicare possumus, publicam formam Ecclesiarum apud nos honestiorem esse, q̄ apud aduersarios. Et si quis recte expendere velit, verius seruamus Canones q̄ aduersarij.

31 Sed quid interest inter Pelagianos & aduersarios nostros, cum vtriq; sentiant homines sine spiritu sancto posse deum diligere, & præcepta dei facere, quo ad substantiam actuum, mereri gratiam & iustificationem operibus, quæ ratio per se efficit sine spiritu sancto.

32 Huic Ecclesiæ prophetarum assentiamur potius, q̄ istis perditis scriptoribus Confutationis, qui tam impudenter blasphemant Christum.

33 Verum aduersarij argumentantur, Laicos remoueri ab altera parte Sacramenti, pœnæ causa. Debent (inquiūt)

esse contenti. Satis pro imperio. Cur autem debent? Non est quærenda ratio, sed lex esto, quicquid dicunt Theologi.

34 Nunc hoc expendat prudens lector, quid frontis habeant isti nihili homines, qui dicunt coniugia parere infamiam & ignominiam Imperio. Quasi vero Ecclesiam valde ornet ista publica infamia flagitiosarum & prodigiosarum libidinum, quæ flagrant apud istos S. Patres, qui Curios simulant, & Bacchanalia viuũt. Ac pleraq; ne verende quidem nominari queant, quæ isti summa licentia faciunt.

35 Et cum defendatur à nobis manifesta veritas, tamen aduersarij calumnias quasdam architectati sunt ad cauillanda argumenta nostra.

36 Magis igitur odio digni sunt aduersarij nostri, quàm Eucratitæ, qui quadam specie religionis lapsi sunt, Illi Sardanapali consulto abutuntur prætextu religionis.

37 Canon iubet suspendere Sacerdotes, Isti parum commodi interpretes, suspendunt non ab officio, sed ab arboribus.

38 Multos bonos viros crudeliter occidunt tantum propter coniugium. Atq; hæc ipsa parricidia ostendunt hanc legem doctrinam esse dęmoniorum.

36 Videtis extremam impudentiam istorum nebulonũ: Audent affirmare, quòd diuinitus reuelata sit lex de perpetuo celibatu, cum aduersetur manifestis scripturæ testimonijs.

40 Itaq; sæpe falso allegant Ecclesiæ iudicium. Id quia non ignorant, exhibere nobis exemplum Apologiæ noluerunt, ne hæc vanitas, ne hæ calumniæ coargui possent.

41 Sophistæ habent descriptos gradus meritorum, sicut argentarij gradus ponderum in auro & argento.

42 Deinde vendunt Missam tanquam precium, ad impetrandũ quod quisq; expetit: Mercatoribus, vt sit fœlix negociatio: venatorib9, vt fœlix sit venatio: et alia infinita.

43 Neq;

43 Neq; ex ſcripturis aduerſarij afferre vel vnam ſylla-
bam poſſunt, ad defenſionem iſtarum fabularum, quas in
Eccleſia magna autoritate docent.
44 Neq; Eccleſiæ veteris, neq; Patrum teſtimonia ha-
bent.
45 Si quando opus erit, prolixius de tota re dicemus.
Quid enim nunc rixemur cum aduerſarijs, qui neq; quid
ſacrificium, neq; quid Sacramentum, neq; quid remiſſio
peccatorum, neq; quid ſit fides intelligunt?
46 Sæpe hoc colore vtuntur, allegant veteres hæreſes,
& cum his falſo comparant cauſam noſtram, vt illa colla-
tione prægrauent nos.
47 Nos Aërio non patrocinamur, ſed vobiſcum litiga-
mus, qui hæreſim manifeſte pugnantem cum Prophetis,
Apoſtolis & ſanctis Patribus, ſceleſte defenditis.
48 O Chriſte quam diu feres has contumelias, quibus Euan
gelium tuum afficiunt hoſtes noſtri?
49 Quid eſt autem certius, quam quod remiſſionem peccato-
rum conſequantur homines fide propter Chriſtum? Et
hanc ſententiam audent iſti nebulones impiam vocare.
50 Tantum conclamant ad arma: pręterea in rebus ma-
nifeſtis decreta ſanguine ſcripta proponunt, quæ minan-
tur horrenda ſupplicia hominibus, niſi manifeſte contra
mandata dei faciant.

Has tibi vir inclyte calumnias Apologię huius è mul-
tis paucas exempli gratia commemorarę volui, vt eo pla-
nius breuiuſq; cognoſcas, quid bonis ac grauibus viris de
ea ſentiendum ſit. Dico è multis paucas. Memini enim dum
tertiam in eam ſcripturus eſſem Philippicam, circa vnum
eius articulum, qui eſt de fide iuſtificante, repperiſſe & an-
notaſſe me calumnias XC. Iam expende quæſo pro tua
eruditione, grauitate, ſapientia & prudentia, num debeat
à bonis viris merito laudari talis Apologia, vſq; adeo pro-

cax & calumniosa, quæ tam petulanti dicacitati admiscet etiam pestiferas hæreses. Quòd si alijs placeret, amicis certe Imperatoris & Imperij placere non debet. Nam cuncta quæ in Confutationem Theologorũ dicit, Cęsarem quoq; & cunctos Romani Imperij Principes ac status, qui illam comprobauerunt iniuriarũ maculis aspergunt. Qua enim honestate, qua fide, qua pietate potuissent Cæsar & Rom. Imperij Ordines Confutationem illam comprobare, si vera essent, quæ in eam Philippus dicit?

Si enim postulatum est ibi, vt à Lutheranis manifesti quidem errores & abusus approbarentur, si damnati ibi sunt aliquot articuli contra manifestam scripturam spiritus sancti, vt primæ duæ habent Calumniæ; Si præterea ista Confutatio doctrina est legis & abrogatio Euangelij, atq; etiam doctrina desperationis, quæ manifestam veritatẽ damnat, & causam nõ Lutheranorũ, sed Christi & Ecclesiæ impugnat, sicut medij duo habent calumniarum articuli: Si deniq; in Confutatione illa contumelijs afficitur Euangelium Christi & certa Euangelij sententia dicitur impia, si proponuntur in ea sanguine scripta Decreta, quibus coguntur homines manifeste contra mandata dei facere, vti vltimæ tres habent calumniæ; Non video equidẽ, quibus verbis aut rationibus possit Cæsar simul cum vniuerso sacro Imperio à tantis sceleribus & impietatibus, quæ à Philippo commemorantur, excusari. Negari enim non potest, Cæsaris iussu eam Confutationem & scriptam & publice prælectam esse. Neq; negari potest, eam à cæteris Rom. Imperij Ordinibus velut piam & Catholicam fuisse approbatam, non solum in Decreto publico, quod Recessum vocant, verum etiam in publico consessu antequam coram Lutheranis pręlegeretur. Postremo & id negari non potest, Cæsarem & alios Principes â Lutheranis petijsse, vt eandem Confutationẽ simul cum ipsis acceptarent. Sed & Prologus atq; Epilogus illius plane indicant,

eam

eam Cæs. Maiestati & omnibus Imperij Ordinibus Catholicis per omnia placuisse, velut piam & orthodoxam. Quomodo igitur possunt vere existere vel amici Cæsaris & Imperij, vel Catholicæ Ecclesiæ filij, qui Apologiam Philippi tot calumnijs hæresibusq; scatentem, laudant, aut approbant? Quisquis enim illam approbat, Cæsaris et Ecclesiæ Catholicæ sententiam improbet, necesse est.

Necq; item Rom. Pontifici amicus est, neq; sedi Apostolicæ fidelis, quisquis Apologiam istam approbat. Quid enim honestius aut contumeliosius in Rom. Pontificem scribi aut dici queat, q̃ scribit ibi Philippus? Hęc enim sunt verba eius: Nec statim censendum est, Romanam Ecclesiam sentire, quicquid Papa aut Cardinales, aut Episcopi, aut Theologi quidã, aut Monachi probant. Constat enim Pontificibus magis curæ esse dominationẽ suam, q̃ Euangelium Christi, & plęrosq; compertum est palàm Epicureos esse. Item. Nõ est ad Pontifices transferendum, quod ad veram Ecclesiam pertinet, q videlicet sint columnæ veritatis, q non errent. Quotusquisq; enim curat Euangelium, aut iudicat dignum esse lectione? Hæc ibi Philippus, qui & alijs multis cauillis, scommatibusq; Rom. Pontificis autoritatem vellicat & perstringit, quam & alibi prorsus conculcat et explodit.

Nemo est igitur vere amicus Ro. Pontificis & Apostolicę sedis subditus et fidelis, qui Apologiã istã approbat. In qua manifeste scribitur, q cõstet Pontificibus magis curæ esse dominationẽ suã, q̃ Euangeliũ Christi, & plęrosq; cõpertũ sit palàm Epicureos esse. Paucos item ex eis curare Euangeliũ, aut iudicare dignũ lectione. Quomodo enim Christianus est, qui Christi Euangeliũ neq; curat, neq; lectione dignum iudicat? Si nõ Christianus, quomodo Ro. Pontifex, quomodo supremus pastor ouium Christi est? Cuiq; suum esto iudicium, Certe mihi neq; pius, neq; fidelis, neq; Christianus esse videtur, quisquis hanc Apologiã

veram.

veram, piam, aut orthodoxam iudicat, licet ab ingenio & verborum ornatu placere queat Rhetoricæ studiosis, & nouarum rerum cupidis. Mira est enim Rhetoris huius versutia, qua callide simulat & dissimulat, ad alliciendum conciliandumq́ꝫ sibi lectoris animum, atqꝫ ad excitandum in aduersarios odium & contemptum. Vnde et Reuerendissimũ Dominum Cardinalem Campegiũ de latere Legatum sedis Apostolicæ, sic admonet alicubi, vt laudando acutius pungat, & deprecando grauius feriat, q̃ꝫ si aperte criminaretur. Minus enim crederetur criminanti, q̃ꝫ blandienti: minusqꝫ afficeretur animus lectoris conuicio q̃ꝫ laude. Expatiatur itaqꝫ sæpe extra propositum per artificium Rhetoricum, quo & causam suam lectori commendatiorem faciat, & aduersarios grauiori obnoxios reddat odio.

Quamuis autem post Lutherum nemo in Ro. Pontifices acrius inuectus sit plęrisqꝫ scriptis, q̃ꝫ iste Philippus, quos & hodie angue peius odit, adeo tamen versipellis est vt plęrunqꝫ simulet sibi curæ esse Rom. Pontificis dignitatem, semper tamen interim occulte pungit, ac palpando ferit. Cuius rei vnum aut alterum ex Apologia exemplum hic recitabo. Etenim in medio Apologiæ, in longam excurrit à proposito querelam, sic dicens: Sed speramus apud bonos viros has calumnias parũ profecturas esse. Et deus tantam impudentiam ac maliciam non diu feret. Nec vtiliter consulit suæ dignitati Rom. Pontifex, ꝙ tales patronos adhibet, ꝙ rem maximam iudicio horum Sophistarũ permittit. Nam cum nos in Confessione fere summam doctrinæ Christianæ vniuersæ complexi simus, adhibendi fuerant iudices, de tantis, tam multis & tam varijs negotijs pronunciaturi. Quorum doctrina & fides probatior esset, q̃ꝫ horum Sophistarum, qui hanc Confutationem scripserunt. Idq́ꝫ te Compegi pro tua sapientia prouidere decebat, ne quid in tantis rebus isti scriberent, quod aut hoc

Ec. i. fa. i.

Ferox & mordax es latrator in absentes, in præsentes eras Augustæ omĩ catello blandior Philippe.

hoc tempore, aut ad poſteros videatur poſſe minuere Ro. ſedis exiſtimationem. Si Rom. ſedes cenſet æquum eſſe, vt omnes gentes agnoſcant eam pro magiſtra fidei, debet operam dare, vt docti & integri viri de religionibus cognoſcant. Quid enim iudicabit mundus, ſi quando proferetur in lucem ſcriptum aduerſariorum? Quid iudicabit poſteritas de his calumnioſis iudicijs? Vides Campegi hæc eſſe poſtrema tempora, in quibus Chriſtus prædixit, plurimum periculi fore religioni. Vos igitur, qui tanquam in ſpecula ſedere, & gubernare religiones debetis, his temporibus oportuit ſingularem adhibere tum prudentiam, tum diligentiam. Multa ſunt ſigna, quæ niſi prouideritis, minantur mutationem Romano ſtatui. Et erras, ſi tantum vi & armis exiſtimas Eccleſias retinendas eſſe. Doceri de religione poſtulant homines. Quâm multos eſſe exiſtimas, non tantum in Germania, ſed etiam in Anglia, in Hiſpania, in Gallijs, in Italia, deniq; in ipſa vrbe Roma, Qui quoniam vident exortas eſſe de maximis rebus controuerſias, dubitare alicubi incipiunt, & taciti indignantur, quòd has tantas res rite cognoſcere & iudicare recuſatis, q non explicatis † ambigentes conſcientias, q tantũ iubetis nos armis opprimi ac deleri. Multi ſunt boni viri, quibus hęc dubitatio morte acerbior eſt. Non ſatis expendis, quanta res ſit Religio, ſi bonos viros leuiter exiſtimas angi, ſicubi incipiũt ambigere de aliquo dogmate. ✝ Et hęc dubitatio non poteſt non parere ſummam odij acerbitatem aduerſus illos, qui cum mederi conſcientijs debebant, obſiſtunt, quo minus explicari res poſſit. Non hic dicimus Dei iudicium vobis pertimeſcendum eſſe. Nam hoc leuiter curare Pontifices putant, qui cum ipſi teneant claues, ſcilicet patefacere ſibi cœlum, vt volunt poſſunt. De hominum iudicijs, deq; tacitis voluntatibus omniũ gentium loquimur, quæ profecto hoc tempore requirunt, vt hæc negocia ita cognoſcantur atq; conſtituantur, vt ſanentur bonæ mentes,

Iudicabit de Lutheranis, ſicut de omnibus alijs hæreticis.

Si doceri vellent Lutherani, iã pridem ad nos reuerſi eſſent. Quãti em̃ libri cõtra Lutheri errores ſcripti at editi ſunt ab Italis, a Gallis ab Anglis, Hiſpanis, et Polonis?

† Veri Chriſtiani non ambigunt, nec vacillant in fide ſed firmiter credũt.

& à dubitatione liberentur. Quid enim futurũ sit, si quando eruperint odia illa aduersus vos, pro tua sapientia facile iudicare potes.

Verum hoc beneficio deuincire omnes gentes vobis poteritis, quod omnes sani homines summum & maximum iudicant, si dubitantes conscientias sanaueritis. Hæc non eo diximus, ꝙ nos de nostra Confessione dubitemus. *Scimus enim eam veram, piã, & pijs conscientijs vtilem esse. Sed credibile est, passim multos esse, qui non de leuibus rebus ambigunt, nec tamen audiunt idoneos doctores, qui mederi conscientijs ipsorum possint. Hæc ibi Philippus rhetorica quadam digressione.

Quàm callidus vero & agilis ac versipellis sit hisce in verbis Rhetor iste, facile pro tua sapientia & experientia consyderabis, vir illustris, Magnifice Domine Procancellarie. Ecce accusat primo à calumnijs, ab impudentia, & à malitia Theologos illos, quos pro aduersarijs sibi delegit, quos & in tota Apologia flagellat acerbissime. Mox interposita Romanæ sedis dignitate (quam tamen in corde suo pro nihilo habet) repetit accusationem in eosdem, faciens suspectam eorum & doctrinam & fidem, velut leuium sophistarum. Aduersus has autem calũnias tuetur eos egregie Cæsar ipse in Confutationis præfatione, dum ait: Mox confessionem non solum à Cæsarea Maiestate sua lectam diligenter, verum etiam, vt negocium tam arduum maturius accuratiusq; tractaret, nonnullis eruditis, maturis, probatis, ac honestis viris diuersarum nationum eandem confessionem videndam examinandamq; datam esse. Quis est igitur vir bonus, qui Theologos illos credat adeo malignos, ineptos & indoctos fuisse, quales videri vult Philippus, vbi audierit eos à Cæsarea Maiestate, & à toto Romano Imperio (Lutheranis exceptis) pro eruditis, maturis, probatis & honestis viris habitos esse? Nunquid vni Philippo, quem in verbis & scriptis suis, parum sibi constare

✠ Quis homines dubitare fecit nisi vos noui turbatores fidei ac religionis? Qui & obsistitis, ne populus piis monitis acquiescat.

* Ita scitis, sicut illi, de qbus Paulus ait. ii. Tim. iii. Sẽper discentes, & nunquã ad scientiam veritatis peruenientes, hoĩes corrupti mẽte reprobi circa fidem.

ſtare videt, plus credet, q̃ ſanctiſſimo Imperatori noſtro, et toti Romano Imperio? Abſit. Fingit præterea ſibi curæ eſſe, Romanæ ſedis exiſtimationem: addit eam debere in ſpecula ſedere, & religiones gubernare, velut fidei magiſtram; ſed in corde ſuo, quin etiam in publicis ſcriptis ſuis alibi longe aliter ſentit. Sed ne hic quidem à cauillis abſtinet: mox enim ſubiũgit minas mutationis, exprobrat vim & arma, obijcit negligentiam doctrinæ, narrat odium publicum, minatur dei iudicium, ſed ita, vt inuidioſiſſime dicat illud à Pontificibus contemni. Addit & improbiſſimam clauium irriſionem, per quas ſcilicet cœlum ſibi patefacere, cum voluerint, poſſint. Atq; vt maiori eos grauet hominum odio, commemorat hominum de religione dubitationes, & cognitionis deſideria. Quaſi hactenus nihil ad hanc rem fecerint Romani Pontifices, cum ſatis conſtet, quanta cum diligentia & maturitate, Lutheri doctrinam examinauerit ac iudicauerit Leo Papa. X. quanta benignitate Germanos ad fidei concordiam inuitauerit Adrianus ſextus, quantis deniq; curis & ſumptibus Clemens ſeptimus nouem iam annis cum Germaniæ Principibus per Legatos & nuncios ſuos paterne ac vere clementer de religione egerit. Impudentiſſimum eſt igitur hoc Philippi de neglecta huius cauſæ cognitione figmentum, & improbiſſima ſimulatio, qua ſibi amici admonitoris perſonam induit, cum ſit animo & intentione Sedi Apoſtolicæ inimiciſſimus, & omni Scorpione nocentior.

Nec multum diſſimili poſt improbitate rhetoricam facit Præfationem de coniugio Sacerdotum, odioſis calumnijs refertam, in hæc verba incipiens: In tanta (inquit) infamia inquinati celibatus, audent aduerſarij non ſolum defendere Legem Pontificiam impio & falſo prætextu nominis diuini, ſed etiam hortari Cæſarem, ac Principes, ne tolerent coniugia Sacerdotum, ad ignominiam

Multo maior eſt impudētia in Sacerdotū & Monachorum ſacrilegos inceſtus, omni iure & conſuetudine ꝓhibitos, publice ſub coniugii prætextu defendere.

& infamiam Romani Imperij. Sic enim loquuntur: Quæ maior impudentia vnquam vlla in hiſtoria lecta eſt, quam hæc eſt aduerſariorum? Nam argumenta, quibus vtuntur, poſtea recenſebimus. Nunc hoc expendat prudens lector, quid frontis habeant iſti nihili homines, qui dicunt †coniugia parere infamiam & ignominiā Imperio, quaſi vero Eccleſiam valde ornet iſta publica infamia flagitioſarum & prodigioſarum libidinū, quæ flagrant apud iſtos S. Patres, qui Curios ſimulant, & Bacchanalia viuunt. Ac pleraqꝫ ne verecunde quidem nominari queunt, quæ iſti ſumma licētia faciūt. Et has ſuas libidines caſtiſſima dextra tua Carole Cæſar, quē etiam vetera quædā vaticinia appellant regē pudica facie: De te enim dictum apparet: Pudicus facie regnabit vbiqꝫ: propugnari poſtulant. Poſtulant, vt contra ius diuinum, cōtra ius gentium, contra Canones Conciliorum diſſipes ✠ matrimonia, vt in homines innocentes, tantum propter coniugium atrocia ſupplicia conſtituas, vt ſacerdotes trucides, quibus religioſe parcunt etiam barbari: vt in exilium agas extorres mulieres, orbos pueros. Tales leges tibi ferunt optime & caſtiſſime Imperator, quas nulla Barbaria quālibet immanis & fera poſſet audire. Sed quia nulla cadit in hos tuos mores vel turpitudo, vel ſæuitia, ſperamus te & in hac cauſa clementer nobiſcum acturum eſſe: præſertim, vbi cognoueris, nos grauiſſimas habere cauſas noſtrę ſententiæ ſumptas ex verbo ☙ Dei, cui aduerſarij nugaciſſimas & vaniſſimas perſuaſiones opponunt, & tamen non tuentur ſerio celibatū. Neqꝫ enim ignorant, q̄ pauci pręſtent caſtitatem: ſed prætexunt ſpeciem religionis regno ſuo, cui prodeſſe celibatū putant, vt intelligamus Petrū recte monuiſſe, futurum, vt Pſeudo ꝓphetę fictis verbis decipiant homines. (a) Nihil enim vere, ſimpliciterq́ꝫ, & candide in hac tota cauſa dicunt, ſcribunt aut agunt aduerſarij, ſed re ipſa dimicant de Dominatione, quam falſo putant periclitari, & hanc impio prætextu

†

Non coniugia, ſed Monachorū veſtrorum ſacrilegia, inceſta infamiā coniugio pariunt, & Imperio æternā ad poſteros et ad exteros maculā & ignominiā relinquūt.

✠

Neqꝫ vera ſunt matrimonia monachorum neqꝫ innocen-

textu pietatis munire conantur.(b) Nos hanc legẽ de celibatu, quam defendunt aduerſarij, adeo non poſſumus approbare, quia cum iure diuino & naturali pugnat, & ab ipſis Canonibus Conciliorum diſſentit. Et conſtat ſuperſtitioſam & periculoſam eſſe. Parit enim infinita ſcandala, peccata, & corruptelam publicorũ morum(c). Aliæ controuerſiæ noſtræ aliquam diſputationem doctorum deſyderant, in hac ita manifeſta res eſt in vtraq; parte, vt nullã requirat diſputationem. Tantum requirit iudicem virum bonum & timentem Dei. Et cum defendatur à nobis manifeſta veritas, tamen aduerſarij calumnias quaſdam architectati ſunt, ad cauillanda argumenta noſtra. Hæc Philippus.

Sed conſydera quæſo Magnifice Domine, quid de eo ſentiendum ſit, qui vſq; adeo callide ac maligne rhetoricatur, & in cõturbationem fidei & religionis noſtræ rhetorico ſic ludit artificio, velut ludo Scacorum, per mille dolos & manifeſta mendatia. Primũ, pro crimine imputat Theologis, ꝙ legem Pontificiam de ſacerdotum celibatu defendunt, cum in proxime iam dicta digreſſione ſimularet ſe ſtudioſum conſeruandæ autoritatis & dignitatis Pontificiæ. Deinde maximam vocat impudentiam, ſacerdotum coniugio contra dicere, cum reuera ſit nequiſſima iniquitas, tale coniugium defendere, contra leges tum ſeculares, tum Eccleſiaſticas, & morem publicum. Tertio, ſumma improbitate deprauat verba Theologorum, quaſi dicant, Coniugia parere infamiam & ignominiam Imperio. Cum illi reuera non loquantur de Coniugijs generaliter, ſed de vetitis & ſceleratis coniugijs Sacerdotum, Monachorum, & Monialium, quæ contra omnia iura diuina pariter & humana nunc paſſim apud Lutheranos infami exemplo & grauiſſimo ſcandalo contrahuntur. De aliorũ vero coniugijs licitis ſic loquuntur expreſſe Theologi illi: S. Paulus recte Dæmoniorum doctrinam dixit eorum, qui nuptias

cẽtes ſunt tam ſcelerati Apoſtatæ et votorum præuaricatores.

❧ Vbi queſo iubet verbũ dei monachos cõtra vota deo emiſſa vxores ducere? At de votis perſoluendis frequẽs eſt præceptũ dei in ſcriptura ſacra.

(a) Sed longe aliter, ac multo melius de cõfutatione noſtra iudicat Cæſar ſimul cũ vniuerſo Imperio.

(b) Falſum eſt hoc totũ.

(c) Nūquā in Germania per annos DCC. maior fuit morum corruptela, & prauitas, turpiſq; viuēdi licentia, q̄ nunc x. annis p Apoſtatas introducta eſt.

prohibent. Quales fuerunt Tatianus & Martion hæretici. Sed adeo Eccleſia non prohibet nuptias, vt etiam Matrimonium inter ſeptem Sacramenta connumeret. Quarto, calumniatur obſceniſſime Theologos illos, de flagitioſis & prodigioſis libidinibus, quæ ne nominari quidem verecunde queant, Cum de nullo eorum vel minimam tot calumniarum partem probare aut conuincere poſſit, & magna pars eorum erant viri ætate graues, & ſenio confecti, immo paulo poſt defuncti, & in pace ſepulti, quorum manes pios Philippus adeo turpiter & obſcene calumniari non veretur. Viuentibus autem ſufficit contra hanc notam caſtiſſimi Cæſaris teſtimonium in Præfatione, vbi vocantur viri eruditi, maturi, probati, & honeſti. Quinto, rurſus peruertit eorum verba & ſenſum, quaſi petant à Cæſare, vt contra ius diuinum, contra ius gentium, & contra Canones Conciliorum diſſipet Matrimonia, & in homines innocentes tantum propter coniugium atrocia ſupplicia conſtituat, &c. At hæc omnia vaniſſima ſunt mendatia, & improbiſſimæ calumniæ. Nuſquam enim talia petunt illi Theologi, nec impugnant Matrimonia, multo minus diſſipant, ſed repræhendunt ſpurca & vetita ſacerdotum Monachorumq; & Monialium ſacrilegia, quæ contra omnia iura Philippus Matrimonia ſeu Coniugia iniquiſſime vocat. Sexto, nouam effingit calumniam, q Celibatum defendant Theologi, non propter caſtitatem, aut propter leges publicas, ſed propter regnum ſuum, & propter dominationem ſuam. At homo prudens facile intelligit hoc improbum eſſe figmentum. Quid enim nocet regno aut dominationi tot Regum & Principum ſecularium, habere vxorem? Sed libet Rhetori, odioſius omnia eorum & dicta & facta calumniari, nullo prorſus habito de veritate reſpectu, dummodo verba rhetoricum præ ſe ferant artificium. Rhetoris enim non eſt, ſemper vera dicere, ſufficiunt ei veriſimilia, dummodo ornate & appoſite dicat.

dicat. Cætera quæ subiungit, apertissima sunt mendatia. Quis enim credat, legem istam de Sacerdotum & Monachorum celibatu pugnare cum iure diuino & naturali, aut dissentire à Canonibus Conciliorum, aut superstitiosam denique aut periculosam esse? Cum constet manifeste, eam in Ecclesia semper fuisse. Certe Monachis & Monialibus licuit nubere, Sacerdotibus vero quanque olim vxores suas retinere & cognoscere licebat, nunque tamen in sacerdotio iam existentibus nuptias inire permissum fuit, ne apud Græcos quidem. Mera sunt igitur mendatia, quæ vanissima ostentatione Rhetor iste tuetur, contra sanctam & antiquam de celibatu sacerdotum & Monasticorum legem.

Quis igitur vir bonus & grauis vel inter Ethnicos istam laudet Apologiam, quæ tam improbo studio abutitur Rhetorices artificio ad coleranda tam manifesta mendacia, & ad struendas tam amarulentas in bonos viros calumnias? Et quæ neque à Cæs. Maiestatis læsione, neque à summi Pontificis iniuria sibi temperat, sed propter vnum Lutherum, virum infamem & publice damnatum Apostatam, criminatur & calumniatur omnes in vnum, quicunque damnatam illius doctrinam reprehendunt, aut reijciunt. Quòd si quis tam inique illi fauet, vt hanc maliciam corruptis affectibus, aut seductæ menti, aut Rhetorico artificio condonandam esse censeat, nemo tamen potest bona cum conscientia & salua pietate, fideique Catholicæ religione eas comprobare Lutheri hæreses, quas Apologia ista probat, asserit & propugnat. Quam enim eius hæresim non defendit, & comprobat? Nec solum pugnat scripturis & argumentis, verum etiam arte Rhetorica pleraque sententias, secundum se plane absurdas, erroneas & hæreticas, ita comit & ornat, vt sub isto melle verborum, dira Lutheri venena multis propinet & infundat, qui eiusmodi propositiones, talis artificij fuco carentes, prius in Luthero velut nauseam & aconitum auersabantur, & cum execratione detestabantur.

E quibus

E quibus ſane aliquot Magnificentiæ hic tuę breuiter commemorabo.

## HAERETICAE PROPOSITIOnes Apologiæ Philippi.

1 Hic flagellant aduerſarij etiam Lutherum, ꝙ ſcripſerit, peccatum originis manere poſt Baptiſmum. Addunt hunc articulum iure damnatum eſſe à Leone X. ſed Cæſarea Maieſtas in hoc loco manifeſtam calumniam depræhendet.

2 Quòd fingunt diſcrimen inter meritum Congrui, & meritum condigni, ludunt tantum, ne videantur aperte Pelagianizare.

3 Falſum eſt & hoc, & contumelioſum in Chriſtum, ꝙ non peccent homines, facientes præcepta Dei ſine gratia.

4 Sola fide in Chriſtum, non per dilectionem, nec propter dilectionem aut opera, conſequimur remiſſionē peccatorum, etſi dilectio ſequitur fidem.

De Confeſſione.

5 Tota Eccleſia per vniuerſam Europam ſcit, quales laqueos iniecerit conſcientijs illa particula Conſtitutionis, quæ iubet omnia peccata confiteri.

6 Nos igitur ſentimus, enumerationem peccatorū non eſſe neceſſariam iure diuino. Idq́ꝫ placet Panormitano, & pleriſq́ꝫ alijs eruditis Iuriſconſultis.

7 Nec volumus imponere neceſſitatem conſcientijs noſtrorum per Conſtitutionem illam: Omnis vtriuſq́ꝫ. De qua perinde iudicamus, vt de alijs traditionibus humanis.

8 Et hæc Cōſtitutio rem impoſſibilē præcipit, vt omnia peccata confiteamur.

9 Quare intelligunt omnes boni viri, vtiliter & pie repræhenſam eſſe doctrinam Sophiſtarum & Canoniſtarum de Pœnitentia.

10 Hoc certe falſiſſimum eſt, quod aduerſarij poſuerant

in Con-

in Confutatione, quod Confessio integra sit necessaria ad salutem. Est enim impossibilis.

11 Porro aduersarij nostri multos Doctores receptissimos damnabunt, si contendent enumerationem delictorum in confessione necessariam esse iure diuino.

De satisfactiõe.

12 Satisfactiones Canonicæ non sunt necessariæ iure diuino ad remissionem peccatorum.

13 Scholastici viderũt in Ecclesia esse satisfactiones. Nec animaduerterunt illa spectacula instituta esse tum exempli causa, tum ad probandos hos, qui petebant recipi ab Ecclesia. In summa, non viderunt esse disciplinam, & rem prorsus politicam. Ideo superstitiose finxerunt eas, non ob disciplinam coram Ecclesia, sed ad placandum Deum, valere.

14 Et tamen his figmentis defendunt Ordines, venditionem Missarum, & infinitas obseruationes, quod scilicet sint opera, si non pro culpa, tamen pro pœna satisfacientia.

15 Verum illa opera, quatenus non sunt præcepta lege Dei, sed habent certam formam ex humano præscripto, sunt opera traditionum humanarum, de quibus Christus dicit: Frustra me colunt mandatis hominum, vt certa ieiunia, instituta non ad carnem coërcendã, sed vt per id opus reddatur honos Deo.

16 Clauis potestatem habet, non imponendi pœnas, aut cultus instituendi, sed tantum habet mandatum remittendi peccata his qui conuertuntur, Et arguendi & excommunicandi istos, qui nolunt conuerti.

De Missa.

17 Ideo sacerdotes vocantur, non ad sacrificia vlla, velut in lege, pro populo facienda, vt per ea mereantur populo remissionem peccatorrum: sed vocantur ad docendum Euangelium, & Sacramenta porrigenda populo.

18 Hic damnamus totũ populũ Scholasticorũ doctorũ, qui docent, quod Sacramenta non ponenti obicẽ, conferant gratiam ex opere operato, sine bono motu vtentis.

19 Nec intereſt inter noſtras traditiones et Moſaicas ceremonias, quod ad hanc rem attinet.

De Monachatu.

20 Vaniſſimum & hoc eſt, q̄ ſit perfectio Chriſtiana, non tenere proprium.

21 Quibus laudibus vexerunt Communionem rerum, quaſi Euangelicam. At hæ laudes plurimum habent periculi: præſertim cum longe diſſentiant à ſcripturis.

22 Scriptura non pręcipit, vt res ſint communes: ſed lex Decalogi, cum inquit, Non furtum facies, dominia diſtinguit, & ſuum quenq; tenere iubet.

De cultu Sanctorū.

23 Nec vident iſti aſini, apud Hieronymum contra Vigilantium, nullam extare ſyllabam de inuocatione. Loquitur de honoribus Sanctorum, non de inuocatione. Nec reliqui veteres ſcriptores ante Gregorium fecerunt mentionem inuocationis.

24 Nullum teſtimonium de mortuis orantibus extat in ſcripturis, præter illud ſomnium, ſumptum ex libro Machabeorum poſteriore.

De Celibatu.

25 Nos hanc legem de Celibatu, quam defendunt aduerſarij, ideo non poſſumus approbare, quia cum iure diuino & naturali pugnat.

26 Et conſtat ſuperſtitioſam & periculoſam eſſe. Parit enim infinita ſcandala, peccata & corruptelam publicorum morum.

27 Diſſentit lex Pontificia & à Canonibus Conciliorum. Nam veteres Canones non prohibent coniugium, nec contractu coniugia diſſoluunt. Etſi hos qui in miniſterio cōtraxerant, remouent ab adminiſtratione. Hæc miſſio illis temporibus beneficij loco erat.

28 Propria eſt igitur hęc lex de perpetuo celibatu huius nouæ Pontificiæ dominationis. Neq; id abs re. Daniel enī tribuit hanc notam regno Antichriſti, videlicet contemptum mulierum.

29 Iouiniani tempore nondum norat mundus legem de

perpe-

perpetuo celibatu. Impudens igitur mendacium est, coniugium sacerdotum Iouiniani hæresim esse, aut ab Ecclesia tunc id coniugium damnatum esse.

30 Illud vero nusquam scriptum aut pictum est, hominibus prodesse opus audiendi lectiones non intellectas: Prodesse Ceremonias, non quia doceant, vel admoneant, sed ex opere operato, quia sic fiant, quia spectentur. Male valeant istæ Pharisaicæ opiniones. De ceremoniis.

31 Nemo sanus illam Pharisaicam & Ethnicam persuasionem de opere operato probare potest.

32 Deus est spiritus, & eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare. Hæc sententia clare damnat opiniones de sacrificijs, quæ fingunt ex opere operato valere.

33 Postremo transferunt Missam & ad mortuos, liberant animas applicatione Sacramenti à pœnis Purgatorij, cum sine fide nec viuis prosit.

34 Itaq; & illa blasphemia nullo modo ferenda est, quæ apud Thomam legitur, professionem Monasticam parem esse Baptismo. De vita Monastica.

35 Obedientia, paupertas & celibatus, si tamen non sit impurus, exercitia sunt adiaphona, Ideoq; sancti eis sine impietate vti possunt.

36 Vbi loquuntur sacræ literæ de Monastica? Sic agunt causam aduersarij, sic citant Scripturas nihili homines. Cum nemo nesciat, Monasticam recens excogitatam esse.

37 Quare cum desertio facultatum sit mere traditio humana, est inutilis cultus.

38 Ita tota vita Monastica plena est hypocrisi, & falsis opinionibus.

39 Ad hæc omnia accedit & hoc periculũ, q̃ qui sunt in illis Collegijs, coguntur assentiri persequentibus veritatẽ.

40 Et hæc collegimus, non solum propter aduersarios,

ſed multo magis propter pias mentes, vt habeant in conſpectu cauſas, quare improbare debeant hypocriſin & fictos cultus Monaſticos. Quos quidem totos hæc vna vox Chriſti abrogat, cum ait: Fruſtra colunt me mandatis hominum. Quare vota ipſa & obſeruationes ciborum, lectionum, cantuum, veſtitus, calceorum, cingulorum, inutiles cultus ſunt coram Deo.

Ex his iam vides, illuſtris Procancellarie, qualis ſit fides & religio eorum, qui hanc Apologiam, tot hæreſeon aſſertricem, ac tot errorum defenſatricem, probant & collaudant. Quòd ſi nihil moueat eos læſa ibi Cæſaris Maieſtas, nihil ſumma Pontificis ſpreta autoritas, & conculcata dignitas, nihil Eccleſiæ Conſtitutiones & Ceremoniæ petulanter improbatæ, contemptæ, reiectæ, nihil Sacerdotum & Monachorum ſtatus & officia impie damnata & proſciſſa, nihil procax iſta in Theologos maledicendi atque calumniandi libido, nihil denique Lutheri decies damnata hæreſis, audaci petulantia ibi aſſerta & propugnata, multiſque erroribus etiam adaucta, (quæ certe vna cauſa cunctos Catholicæ Eccleſiæ filios ab hac Apologia ſic abſterrere merito deberet, vt neque laudare, nec approbare, nec legere quidem auſint) ſaltem moueat eos, ſi boni graueſque viri non tam videri quam eſſe volunt, impudens in ea mentiendi leuitas, ac vaniſſima iactantia. De qua ſi mihi non credunt, neque eam vltro animaduerterunt, vt ipſi ſaltem autorem audiant, aliquot eius mendacia, exempli gratia, quam breuiſſime commemorabo.

MEN-

1 Nullum dogma contra autoritatem scripturæ & Catholicæ Ecclesiæ profitemur.

2 In doctrina nostra nihil inest, quod discrepet à scripturis, vel ab Ecclesia Catholica, vel ab Ecclesia Romana, quatenus ex scriptoribus nata est.

3 Quanquam apud nos magna ex parte veteres ritus
4 diligenter seruantur, Falso accusantur Ecclesiæ nostrę, q̄ Missam aboleant: retinetur enim Missa apud nos, & summa reuerentia celebratur.

5 Itaq; non videntur Missę apud aduersarios maiore religione fieri q̄; apud nos.

6 Confessio in Ecclesijs apud nos non est abolita. Non enim solet porrigi corpus Domini, nisi antea exploratis & absolutis.

7 Nam hoc etiam aduersarij tribuere nobis coguntur, q̄ doctrina de pœnitentia diligentissime à nostris tractata & patefacta est.

8 Ita persuadebant Monasticam professionem longe meliorem esse Baptismo.

9 Nostri docuerunt, vtranq; potestatem (Ecclesiasticam scilicet & gladij) venerandam & honore afficiendam, tanquam summa Dei beneficia in terris.

10 Nunc imperant Episcopi celibatum, nullos recipiunt nisi iurent, se puram Euangelij doctrinam nolle docere.

11 Nunc non id agitur, vt dominatio eripiatur Episcopis, sed hoc vnum petitur, vt patiantur Euangelium pure doceri, & relaxent paucas quasdam obseruationes, quæ sine peccato seruari non possunt.

12 Semper ita scripsit Lutherus, q Baptismus tollat reatum peccati Originalis, etiam si materiale, vt isti vocant, peccati maneat.

Siſto hic gradum, ne Magnificentiæ tuæ, quæ multis & arduis negocijs ſemper eſt occupata, fœda mendacio-rum ſuperfluitate enumeranda moleſtior ſim, q̃ oportet. Cætera in Philippicis, & in Antapologia noſtra clarius, copioſiuſq;, Deo dante, tractabuntur. Reliquum eſt, vt ro-gem te, vir Illuſtris, hæc paucula æquanimiter bonam in partem accipias: ſcripſi certe, vt ſentio, nullius in perſonam autoris odij mihi conſcius. Deus te Cæſari & Reip. diu conſeruet inco-lumẽ atq; florentem. Ratisbo-nę, Quarto Nonas Iunij. 1532.

Excuſum Lipſię, apud Michaëlem Blum.
M. D. XXXIIII.


calibrite
colorchecker CLASSIC
mm